Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36535
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

Et ciuitatem sanctam hierusalem nouam uidi descendentem de celo a deo. Hec ciuitas sancta ecclesia est. que idcirco ciuitas appellatur. quo a multis inhabitatur. et in quatuor partes mundi distenditur habens habitatores de oriente.
Hinc paulus dicit. Templum enim dei sanctum est quod estis uos. Sancta dicitur. quia cotidie per baptismum sanctificatur. Vocatur quoq; iherusalem. que uisio pacis interpretatur. quia adhoc laborat. ut uisionem dei in celestibus percipiat.
Nouam dicitur. quia uetustate peccati exuitur. Peccatum enim perpetratio ad uetterem adam pertinet. et ideo deus ecclesiam a peccato originali mundat. a uetustate peccati ad nouitatem transit. Vnde apls. expoliantes uos uetterem hominem induite nouum qui renouatur in agnitione dei. Idcirco autem hec ciuitas a deo dicitur descendere. quia ab exordio suii iam cum capite suo descendit cum quo et per quod surrexit ascendit.
Vnde dns dicit. Nemo ascendit in celum. et certa. Alitter. In hoc de celo dicitur descendere. quia celestis est gratia. quod dns eam fecit ecclesiam. iustitia illud. Ego dns faciens te. Quicquid enim habet in fide. spe et karitate ceterisq; uirtutib; et baptismo. desup datum est illi. Vnde iacob.
Omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est descendens a patre luminum. Parata. id est fide ceterisq; uirtutib; ornata. ut meretur fieri sponsa. Sicut sponsa ornata. uiro suo. Duo dicit sponsa et uirum. in quo sub intelligitur uxor. quia consuetudo est sacre scripture ut sponsos appellet uiros. et sponsas uxores. Vnde est. Egrediatur sponsus de cubili suo et sponsa. de thalamo suo. Et se fora ad moysen. Sponsus sanguinum tu mihi es. In euangelio quoq; dicit.
Ioseph autem uir eius. Et in lege. Si inuenerit uir puellam desponsatam in agro. et dormierit cum ea morte moriatur. quia humiliauit uxorem proximi sui. Sponsa itaq; nunc est sancta ecclesia per fidem spemque dilectionem sed tunc erit uxor. quando ad amplexus uiri. id est ad contemplationem dei omnipotentis peuenerit. Quod cotidie quidem in singulis agitur electis. generaliter autem in fine complebitur. cum omnes in commune audierint. Venite benedicti patris mei. et certa.